(Zampini)


IN SEPULCHRALEM LAPIDEM SEXTI VARII MARCELLI IN AGRO VELITERNO

Nuper effossum

OBSERVATIONES.



ROMÆ MDCCLXV.
EX TYPOGRAPHIA BERNABO', ET LAZZARINI.



PRÆSIDUM FACULTATE.

CAROLO ALBERTO
GUIDOBONO CAVALCHINI

S. R. E. Cardinali Amplissimo Sac. Collegii Decano Episcopo, & Gubernatori Veliterno

CONSERVATORES VELITERNÆ URBIS

FELICITATEM.



Vantopere nostrates Cives Tibi debeant, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quod inter tot, tantaque beneficia, quibus hanc urbem cumulasti, insigni quoque dono Sepulchralis Urnæ Sexti Varii Marcelli publicas Veliterni Senatus Ædes ditaveris, vel ipsa antiqui Monumenti præstantia satis ostendit.*

Quale porrò de illo ferendum iudicium, quamque magno in pretio ſit habendum, ex his Notis, quæ ad eumdem Lapidem iam pridem iuſſu tuo collectæ fuere, quibuſque donum perhumaniter ſociaſti, facile coniecimus. Cum primum enim ſuperiore Anno in fundo Veliterni Agri, qui ad tua iura pertineret, Lapis effoſſus eſſet, vix dici poteſt, quam ſolicitus fueris, qui tuus in Litteras, bonaſque Artes omnes ſingularis eſt amor, ut hæ Animadverſiones, quibus Inſcriptio illuſtraretur, ſtatim perſcriberentur.

Admirari profecto omnes ſolent, quod olim de Catone Scipio, tum cæterarum rerum tuam excellentem, perfectamque ſapientiam, tum vel maxime, quod numquam ſenectutem Tibi gravem ſenſeris. Non ingraveſcens ætas, non aſſidua in maximis rebus curandis, gerendiſque occupatio umquam Te a litterarum ſtudio avocarunt. Animi enim magnitudine eo ipſo tempore, quo bono publico impiger magnis muneribus das operam, ac dum tantam ſuſtines Dignitatem, doctrinæ ſtudia a Te numquam intermiſſa, fovere, ac patrocinari non ceſſas.

Itaque haud ingratum Tibi fore exiſtimavimus, ſi eiuſmodi Obſervationes iamdiu ad Nos miſſas diutius deliteſcere haud paſſi ſumus. Proinde, cum graphice ex archetypo deſcriptam, æri inciſam edi curaverimus Sarcophagi formam cum inſculptis Inſcriptionibus, ne ſcilicet pervulgata, ut fit, per multorum manus illarum exemplaria mendoſa volitarent, eaſdem

Notas adnectere opportunum duximus. Quamvis enim, ut audivimus, alii in eodem postea argumento versati fuerint, tamen non abs re fore putavimus, neque male Antiquitatis amatoribus cessurum, si quæ uberius, Te auspice, scripto exaratæ fuere, nunc typis editæ in lucem prodeant Tuo præsertim Nomini nuncupatæ.


Quid enim gratius excipi potest, quam quod prodit immortalis Tui nominis commendatione? Norunt mehercle, fama Tui Nominis latissime pervagata, quotquot sunt ubicumque terrarum quantum sis de Apostolica Sede, atque adeo de Christiana Republica meritus: Te suspiciunt, Virtutisque in Te veluti clarissimum specimen mirantur omnes. Sed quæ propius nos attingunt ne omnino missa faciamus, multa, eaque præclara sunt, quæ Tibi, Cardinalis Amplissime, apud Volscorum Gentem præcipuo iure amorem summum, & simul obsequium, ac venerationem pariant. Hinc est profecto Patriæ nostræ cur magnopere gratulemur, quandoquidem, dum Tu non minus sacra, quam civili potestate hic Regimen adeo sapienter moderaris, quamplura, quæ Civitatis decus servent, augeantque, vel instaurata, vel instituta.


In sarta tecta Cathedralis Ecclesiæ, ut nitori suo restitueretur, sumptus per Te liberaliter impensi. Jussu Tuo nova, & commodiori molitione, quæ maior in Civitate est, strata via, Ædesque circumquaque ornatiores factæ. Cura item Tua ex auctoritate CLEMENTIS XIII. P. M. *prolata ad quatuor*

tuor Menses Magistratus vice, coercitoque ad XXXX. Viros Patrio Senatu, eiusdem inposterum Nobilitati, ac Patricii generis dignitati consultum. Litteraria etiam Volscorum Societas, quæ hic Velitris hoc ipso anno non sine studiosorum fructu instituta est, tuorum temporum felicitati adscribenda.

Sed quid plura? Nimis longum esset quot bona in hanc Patriam sive auspicio Tuo, sive providentia dimanarunt, commemorando recensere. Maiori itaque non tam huiusce Ecclesiæ, & urbis felicitati, quam universæ Christianæ Reipublicæ bono D. O. M. Te diu incolumem servet, prout omnes boni augurantur, votisque nuncupatis nos enixe precamur.







QUA Veliternus Ager ad Orientem Solem vergit, & Cora oppidum proſpicit, in fundo, qui dicitur *Columella* procul a Velitris plus minus II. paſſ. millibus, dum altius ad Vineta ſerenda humus effoderetur, proxime elapſis menſibus Urna Sepulchralis egeſta. Parietinæ illius latera undique ambiebant. Lapis e græco marmore, nec inelegantis formæ, in ſua fronte, quæ ad latitudinem palm. VIII. protenditur, exhibet lævâ intuentibus Latinam Inſcriptionem, eamdemque rurſus a dextera Græce iteratam. Non tam ordo ipſe, quo utraque legentibus exhibetur, quam quod in Græca deeſt aliquid, quod in Latina conſpicitur, ut ſuo loco dicemus, ſatis arguunt e latino ſermone in Græcum verſionem factam.

Iſtiuſmodi genus Lapidum πολιγλώττων maxime rarum, & infrequens; quinimmo pene dixerim, nullum, qui Sepulchralis ſit, præter illum, quem Græcum, & Latinum refert Sponius [a], ad hanc diem extitiſſe ſaltem integrum, qui in eadem verba varietate linguarum inſcriptus eſſet.

Sed ſi deſint lapides, quibus hunc pluribus linguis Sepulchrorum inſcribendorum morem confirmare queam, præſto tamen eſt Viri Principis monumentum, ſi non ex ipſo marmore petitum, certe ex veteris Auctoris hiſtoria, qui illud nobis integrum reliquit. Is eſt Julius Capitolinus, qui in Gordianorum vita teſtatur Gordiano Pio *Sepul-*

a *Miſcell. ſect. x. num.* 37.

pulchrum apud Circeium Castrum factum in finibus Persidis cum hoc titulo & Graecis, & Latinis, & Persicis, & Ægyptiacis litteris, ut ab omnibus legeretur: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM VICTORI GOTHORVM VICTORI SARMATARVM DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM VICTORI GERMANORVM SED NON VICTORI PHILIPPORVM. Aliud bilingue monumentum, non tamen illud Sepulchrale, retulit Livius [a] ab Annibale post Cannense bellum propter Junonis Laciniæ Templum dedicatum *cum ingenti rerum abs se gestarum titulo, Punicis, Græcisque litteris insculptum*. Nimirum clarissimorum Virorum tantus amor gloriæ fuit, ut non contenti suorum factorum memoriam remanere apud suos, diversarum linguarum ope eam exteris etiam, &, si fieri posset, toto Orbi commendarent. Id Marito suo egregie præstitit Iulia Soæmias, dum sepulchralem illius titulum in utraque lingua Græca, & Latina prostare voluit. Ita, cum in Syriam Græcus sermo immigrasset, ibique passim usu receptus esset, id Coniux Viri amantissima assecuta est, ut non tam in Latio splendescerent, quam apud populares suos Mariti decora evulgarentur.

Sextum Varium Marcellum Soæmiadis Maritum, & Elagabali Patrem prodit Inscriptio. Quis continuo vel unice hoc nomine, (ut cœtera, quæ ipsum Lapidem commendant, missa faciam), non plurimum deferat præclaro huic antiquitatis monumento, & Veliterno agro non maximas habeat gratias, qui ætate nostra illud ab ima terra protulit in apricum? Nemo erit fortasse, qui ignoret quot, quantisque inter se differant modis veteres historici tum Græci, tum Latini in describenda Elagabali, & Alexandri Familia, rebusque gestis. Sunt enim, qui Elagabalum vulgo quæsitum [b] narrent, qui adulterinum [c] scribant, qui Caracallæ [d] filium dicant, qui ipsi supponant [e], qui Vario Marcello genitum [f] affirment. Est cui placeat Marcellum fuisse Soæmiadis Maritum, cui Mamaeae [g], ille Elagabalum Marcello filium adscribit, is Alexandrum. Verum discrimina hæc omnia unus hic Veliternus Lapis componit, qui nullum inposterum

a *Lib. xxviii. c.46.*

b *Capit. in Macr. n.7.*

c *Victor. in Epit. c.23.*

d *Spartian. in Caracal. Victor in Epit. & in Caes. cap.23. Jornandes de reg. ac temp. success.*

e *Herodian. V.3. 19. Eutrop. Brev. lib 8. Lamprid. in Diadum. num.9. & in Heliog. num.1. & 2.*


f *Dio lia. LXXIII. Xiphil. in Macr.*

g *Lampr. in Alex. num.1.*

rum de veris Elagabali, & Consobrini sui Alexandri Severi originibus locum dubitandi reliquum facit. Quod igitur tam bonis avibus erutum Marmor tantam Romanæ Historiæ præferat lucem lætandum est magnopere temporum nostrorum felicitati. Sed iam singula quæque singillatim, quæ in Inscriptione sunt explicanda, breviter percurramus. Hæc vero ut facilius percipi possint Soæmiadis, & Marcelli γένεσιν, eamque pleniorem, ac Valesius [a] ediderat, subiicimus, ut omnium, de quibus tractatio erit, præ oculis unico veluti obtutu ordo, seriesque habeatur.



a *Not. in Dion. Lib.LXXIII.*


IVLIANVS BASSIANVS
Pontifex Dei Solis
IMP. SEPTIMIVS SEVERVS
IVLIA DOMNA PIA AVG. secunda uxor
IVLIA MAESA VARIA AVG.
IVLIVS AVITVS Consul circa A.C. 209.
ALEXIANVS
IMP. M.AVR. ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA
GETA
SEX. VARIVS MARCELLVS
IVLIA SOAEMIAS BASSIANA AVG.
IVLIA MAMAEA AVG.
GESSIVS MARCIANVS secundus Maritus
IMP. M.AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS VARIVS AVITVS ELAGABALVS
N.N.
IMP.ALEXANDER SEVERVS ALEXIANVS BASSIANVS
THEOCLIA

Lati-

IVLIA SOÆMIAS BASSIANA.



Atini Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, quod perraro iis temporibus diphtongos adhiberent, ſcripſere *Soemias*, ut obſervavit Salmaſius [a]. At hic *Soaemias* cum diphtongo tam latine, quam græce inſcribitur, prout in eius nummis, qui rari ex omni forma habentur. Idem [b] Salmaſius poſt Joſephum Scaligerum notavit, e veteribus fere neminem Soæmiadis meminiſſe, qui non illius nomen paullatim detorſerit. Hinc Lampridius *Semiamiram*, *Symiamyram* Capitolinus, & *Symiam Syram* Eutropius appellant.

A Iulio Avito Patre *Julia* dicta videtur. *Baſſiana* a Juliano [c] Baſſiano, qui Emeſæ fuit Pontifex Dei Solis, Avo Materno, a quo etiam Caracalla, conſobrinus Soæmiadis, *Baſſiani* cognomen ſortitus eſt.

Soaemiadi eadem, quæ Marcello Apamea Patria fuit, quidquid dicat Reimarus in notis ad Dionem, ubi pro *Municipe*, ut recte interpretati ſunt Leunclavius, & Falco, vertit *Congentilem*, ſive *eiuſdem Gentis*; ut enim omittam ὁμοεθνῦς apud Græcos æque dictos homines eiuſdem gentis, ac eiuſdem loci, advertam unice in hanc rem, neque ex eadem Gente fuiſſe Marcellum, & Soaemiadem, ille quippe ex Varia erat, hæc ex Julia, Julio Avito Patre, neque Dionis verba, quæ ſequuntur, Reimari explicationem recipere. Sed præſtat heic Dionis [d] locum adſcribere Ἡ Μαῖσα.... δύο ἐγγόνες ἄρσενας, ἐκ μὲν τῆς Σοαιμίδος, Οὐαρίου τε Μαρκέλλου ἀνδρὸς ὁμοεθνῦς (ἐξ Ἀπαμείας γὰρ ἐκεῖνος ἦν).... ἔχουσα....

Maeſa . . . habuit nepotes Mares duos, alterum e Soaemiade, Varioque Marcello populari ſuo (is enim erat ex Apamea); ubi certe τὸ ὁμοεθνῦς nequeas *congentilem* reddere, ſi cum proximis verbis cohærere vis; iis enim per cauſalem coniunctionem γὰρ rationem reddit, cur municipem, & conterraneum Soaemiadis Marcellum ſcripſerit, nimirum, quod ipſi Apamea Patria eſſet, unde erat & Soaemias. Id certo certius etiam liquet ex altero Dionis loco, quo Iulius Avitus Soaemiadis Pater ex Apamea oriundus haud dubie affirmatur. Non igitur video quo iure negaverit Reimarus, Dionem ſcripſiſſe umquam Soaemiadem Apameenſem fuiſſe, & cur Tillemontio [e] ſuſpi-

a *Not. in Capit. Macr.*
b *Ubi ſupra.*
c *Vaillant. Numiſ. Colon. Latin.* Soemias.
d *Lib.78.*
e *Hiſt. des Emp. Tom. III. pagin.* 470. *not.* 7.

ſpicio inceſſerit de Dionis textu corrupto, ibique loco τῆς Ἀπαμείας ponendum duxerit τῆς Ἐμέσης Zoſimi, ac Juliani [a] auctoritate commotus, qui ex Emeſa fuiſſe Elagabalum tradidere. Nihil enim argumentum hoc leve morari nos debet: nam quid vetat Parentes Elagabali Apameenſes fuiſſe, Elagabalum vero vel Emeſae in lucem editum, vel ibi apud aviam Maeſam eo conſilio altum, educatumque, ut in locum proavi Baſſiani iampridem vitâ functi Elagabali Dei Sacerdos renunciaretur? Profecto cum ipſe Emeſae multos annos privatus traduxerit, atque in ea urbe pontificali dignitate conſpicuus fuerit, indeque etiam ad imperium venerit, haud hercle mirum eſt, ſi ab Hiſtoricis ex Emeſa fuiſſe dicatur.

Soaemias mulier quidem formoſa, non tam imperio Filii, quam vitiis inclaruit, moribuſque meretriciis, quibus per omnem vitam dedita digna filio Mater eſt [b] habita. Famâ adeo laboravit, ut Filium Elagabalum, qui antequam ad Imperium evectus eſſet *Varius Avitus Baſſianus* vocabatur, ideo *Varii* nomine nuncupatum eſſe putarent, quia ex incerto coitu natus eſſet = *Varii* [c] *autem nomen idcirco eidem inditum a Condiſcipulis, quod vario ſemine de Meretrice utpote conceptus videretur*. Quamquam Elagabalum, uti diximus, Antonino Caracallæ Filium aliqui adſcribebant. Eius quippe Avia Maeſa, quæ non tam opibus, quam induſtria, aulicíſque in primis pollebat artibus, præter maximam pecuniarum largitionem in Milites effuſam, parum ſolicita de pudore Filiæ, ut Avitum ad Imperium attolleret, non dubitavit eius Patrem aſſerere Antoninum Caracallam, ut ſcilicet Militum animos Nepoti conciliaret. Hinc Elagabalo Antonini nomen, quod paſſim in eius nummis obſervatur. Quod verò Sacerdotem is ageret Dei Solis, quem *Elagabal* nominant Phoenices, ex eo *Elagabali* cognomen ductum. Sic porro Aviæ Elagabali *Maeſæ* nomen a dignitate; nam Syria lingua idem ſonat, ac Sol, cuius erat Sacerdos, ut notat Vaillantius [d].

Imperator factus hic *Pſeudo-Antoninus* Romam veniens, Deo ſuo, cuius Sacerdos fuerat, Elagabalo ſecum advecto, voluit hunc unum, cui inſigne Templum in Palatino erexerat, coli ab hominibus, alioſque omnes ceſſare Deos. Senaculum item Mulierum, quod in Quirinali extruxit Elagabalus ad conventus Mulierum habendos, qui-

a *Julian. in Cæſar.*

b *Lampr. in Helog. Capitol. in Macr. num. 7.*

c *Lampr. in Macr.*

d *Vaillant. in Nummis Colon. Latin.*

quibus Avia Maesa, & Soæmias Mater præsiderent, non sine cultu Solis censet *Donat. Rom. Vet. lib.8. Cap.15.* ubi de præclaris huiusce Senaculi vestigiis, qui in Quirinali adhuc supersunt in Hortis Columnensium, fuse disseruit. Inde e muliebri conventu deridicula illa Senatusconsulta *Semiamirica* [a] de legibus Matronalibus, *quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret: quæ pilento, quæ Equo Sagmario, quæ Asino veheretur, quæ carpento Mulari, quæ Bovum, quæ Sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata, & quæ aurum, vel gemmas in calciamentis haberent.*

Sed non has tantum nugas aucupabatur Mulier. Nihil in omni Republica, quod non per luxuriam, & ex eius arbitratu esset. Lamprid. Heliogab. *Hic tantum Semiamiræ Matri deditus fuit, ut sine illius voluntate nihil in Republica ageret, quum ipsa meretricio more vivens in Aula omnia turpia exerceret.* Prima, nec antea, nec postea umquam audito exemplo, ausa est ex Mulieribus Senatum ingredi, pene Consules adsidere, & scribendo adesse, quæ postmodum fuerunt in caussa, cur perempto Elagabalo S. C. cautum fuerit, ne umquam Mulier Senatum ingrederetur, utque Inferis eius caput dicaretur, devoveretur que, per quem id esset factum.

Soæmiadis vitæ par fuit interitus. Cum filio misere interfecta, dum is octodecim haud amplius annos ageret. Horum cadavera diu per contumeliam raptata per Urbem postremo in cloacas abiecta [b] fuere. Verum, quæ dum vixit probrosissima Mulier extitit, ei post mortem relatæ inter [c] Divas divini honores habiti.

C. F. Quæ sigla deest in Marmore Græcis Litteris insculpto posset intelligi *curavit fieri*, vel *faciundum*, nisi velimus potius explicare pro *Clarissima Femina*, quod certe magis arridet. Cœptum enim iam inde a Tiberio Cæsare Senatores, eorumque Uxores, & Filias *Clarissimas* vocari [d]. Non recte igitur Tillemontius, qui existimavit *Clarissimi* titulum aliquanto serius, ac labente tertio Ecclesiæ Sæculo invectum fuisse [e]. Observatu dignum, quod Soæmias etiam post Viri

a *Lamprid. in Heliog.*
b *Dio Lib. 79. Cap. 20. Herodian. l. 5. Cap.23.*
c *Vid. Reimar. not. ad Dion. pag. 1336.*
d *Pancirol. not. utr. Imp. Cap.2.*
e *Eduard. Corsin. in Præf. de Præf. Urb. pag.30.*

ri mortem *Clariſſimæ* titulum uſurpaverit. Hactenus enim acriter diſputatum inter eruditos, an Uxor titulum, quem a Mariti dignitate obtinebat, mortuo illo deinceps retineret. Sane Mulieres, quæ minoris dignitatis Viro ſecundo nuberent, quem a primo Marito gradum dignitatis haberent, illico amittebant. Sic Mamaea Soæmiadis Soror natu minor, cum antea Uxor fuiſſet Viri Conſularis, iterum nupta minoris dignitatis Viro nonniſi ex indulgentia Principis priſtino honori fuit reſtituta, ut ab Ulpiano edocemur in Leg. 12. ff. de Senatoribus: *Nuptæ prius conſulari Viro impetrare ſolent a Principe, quamvis perraro, ut nuptæ iterum minoris dignitatis Viro, nihilominus in conſulari maneant dignitate: ut ſcio Antoninum Auguſtum Iuliæ Mamææ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe.*

Et quoniam duplicis Mamææ connubii incidit mentio admonet locus, ut inquiramus, an Geſſius Marcianus, qui fuit Pater Alexandri, fuerit ille Vir Conſularis, cui primo nupſerat Mamæa, an alter, cuius nomen ignoratur. Tillemontius [a] cum animadverterit, Alexandrum imperante Severo natum ann. Chr. 208. Mamæam vero ſuæ dignitati reſtitutam a Caracalla ſumma rerum potito A. C. 211. Geſſio Marciano principem in connubio locum conſtituit. Verum Tillemontius nimium fortaſſe in hoc ſuo ingenio indulſit. Fieri enim potuit, ut etiam ſub Severi regno iterum nupſerit Mamæa, & non niſi ſerius ex Caracallæ indulgentia ad priſtinos honores veluti poſtliminio redierit. Geſſium hercle Marcianum conſularem fuiſſe tacet Dio graviſſimus Auctor, in recenſendis hominum gradibus, ut norunt omnes, præ cæteris hiſtoricus diligentior. Is in eo potiſſimum loco, in quo Elagabali, & Alexandri origines ſtudioſe percurrens Iulii Aviti Conſularis, & Varii Marcelli poſt geſtas Procurationes in Senatum allecti meminerat, numquam certe de dignitate Marciani ſiluiſſet, neque eum tantummodo feciſſet ἐπιτροπείας τινὰς προςαχθέντων *quibuſdam procurationibus perfunctum*, ſi Conſulari dignitate & ipſe, uti Julius Avitus, præfulſiſſet. Itaque non alienum a veritate arbitrarer, ſi Alexandrum ſecundo Mamææ Marito genitum dixerimus.

Maritis orbatam Mamæam in ipſo iuventæ flore ex eo coniectari licet, quod duos tantum Filios habuerit Alexandrum, & Theocliam, quodque iam inde a puero ſub tutela Matris altum, educatumque Ale-

---

a *Hiſt. des Emp. T. III. pag. 471. not. 1.*

Alexandrum, nulla deinceps mentione illius Patris habita, tradant Scriptores. Mamæa, Soæmiadis moribus dissimillima, sapiens, & pudica Mulier; neque mirum, si, ut voluit Eusebius, quem secuti sunt Orosius, Cedrenus, Vincentius Lerinas, aliique, ab Origene Christianis institutis edocta a vera Religione non abhorrebat [a]. Sed ad propositum redeamus.

CVM FILIS. *Filis* pro Filiis. Antiqui enim *ii* sæpe contrahebant. Id Cl. Noris Cenotaph. pag.473. in Codice Virgilii Medicei fere perpetuum esse pluribus exemplis demonstrat. Præter *Avitum Bassianum*, qui fuit postea Elagabalus, nemo certe superstes ex Filiis, quos pueros admodum obiisse dicendum est, quandoquidem si superstites fuissent, cum Elagabalus rerum potitus est, aliquem profecto dignitatis gradum tenuissent, deque iis foret apud Scriptores aliqua mentio, quæ nullibi occurrit. Nunc enim primum ex hoc Variano Lapide innotescit, Soæmiadi plures Liberos fuisse.

SEX. VARIO MARCELLO. Nunc primum etiam scimus Vario Marcello prænomen *Sexti* fuisse. Eodem prænomine alium nescio quem Varium insignitum nobis [b] in suo Thesauro Muratorius exhibuit. Ex hoc ipso Lapide emendatur Xiphilinus in *Epitome Dionis*, ubi legitur *Varus Marcellus* pro Vario Marcello. Erroris etiam arguitur Lampridius, qui Alexandrum *Varii Filium*, *Variæ Nepotem* facit.

Propemodum deceptus a Lampridio Isaacus [c] Casaubonus putabat Soæmiadi Maritum fuisse Genesium Marcianum, Mamææ vero Varium Marcellum. Verum haud dubius, & anceps Vir doctus hæsisset in interpretatione Dionis, neque huic Lampridium prætulisset, si hæc nota illi fuisset Inscriptio: ex hac enim vindicatur versio Dionis, quæ in eius Excerptis [d] habetur, ubi Maritus Soæmiadis dicitur *Varius Marcellus*, Mamææ vero *Genesius* sive *Gessius Marcianus*.

Va-

a *Baron. ad an. Chr.220. §.6. Tillemon. in Alex. art. 1. Id. in not.ad Alex. 8. pag.480. Tom.3.*

b *Pag.1416. num.11.*

c *Causabon. Not. in Lamprid.*Alexander.

d *Excerpta Dionis cum Not. Leunclavii Francofurti 1592.lib.78.Macrinus 23. pag.913.*

Varius nomen Gentis. *Varia* inter Illuſtres Familias, quæ a Fulvio Urſino, & Patino recenſentur, nuſquam apparet. Panvinius [a] adſcribit *Variam* inter Gentes Plebeias ante Auguſti tempora. Plures *Varios* iu Hiſtoria Romana occurrere Tacitus vel unus nobis fidem faciet. Merito itaque Vaillantius, Vir cæteroqui doctiſſimus, caſtigatur ab Havercampio [b], quod duos tantum in Romana Hiſtoria Varios occurrere affirmarit.

Num vero multiplices Varii, qui in Romana Hiſtoria, & in Lapidibus occurrunt, ad hunc noſtrum Varium Marcellum Syrum hominem quoquomodo pertineant, affirmare non auſim. Cæterum iſtius ætate nondum pro libito confuſa, & uſurpata nomina, prout evenit poſt Antonini Caracallæ [c] Conſtitutionem, quâ Imperator omnes eos, qui in Orbe Romano eſſent, Cives eſſe voluit. Tum enim pro cuiuſque arbitrio nomina ſumpta, aut primorum Gentium, quæ iam eſſe deſierant, aut nova excogitata, vetere vocandi conſuetudine, quæ ad ea uſque tempora parum certe violata perduraverat, paulatim labante.

Mutuari quidem poſſent Romana Nomina Varii Marcelli a Colonia, unde ipſe eſſet. *Apamea*, ut diximus, illi Patria fuit; ſed plures Apameæ ſunt, de quibus Octavius Falconerius de Nummo Apamenſi. Aſt nulla præter illam, quæ in Bithynia eſt, Colonia Romanorum fuit, dicta *Julia Concordia Auguſta* [d]. *Julia*, quod a Julio Cæſare Apameni Bithyniæ Coloni eſſent facti, cum hi pro Cæſare contra Pompeium ſtetiſſent. Verum *Apamea* Syriæ Patria fuit Marcello iuxta Dionem, quæ Urbs inter Antiochiam, & Emeſam ſita eſt.

Quæcumque tamen eſſet *Gens Varia*, e qua Marcellus prodierat, non ei ſane dubitarem adſerere Varium illum Macrinum, qui in Illyrico circa An. Chr. 228. de Germanis victoriam reportavit. Cum enim Lampridius hunc dixerit affinem Imp. Alexandri: *Actæ ſunt res feliciter ..... in Illyrico per Varium Macrinum affinem Alexandri*, non aliunde cenſerem huiuſmodi affinitatem adſcitam, quam ex errore, in quo Auctor verſabatur, dum patrem Alexandri non Geſſium Marcianum, ſed Varium Marcellum fuiſſe putabat: in eiuſmodi enim facti ſpecie, quandoquidem Macrinus gentilis Marcelli eſſet, ſane non potuiſſet non aliqua propinquitate Alexandrum attingere.

Quid

a *Panvin. de antiq. Nom.*
b *Comment. ad Theſaur. Morell. tom. I. pag. 363.*
c *Panvin. de nom. Petiſc. V. nomen.*
d *Vaillant. Numm. Aerea Colon.* Julia Domna.

Quid vero si *Maesam* aliquo modo & ipsam ad Variam Familiam pertinere dixerim, & hinc Marcellum, & Soæmiadem aliquo inter se cognationis vinculo fuisse coniunctos? Non uno in loco Julia Maesa a Lampridio, & Capitolino *Varia* appellatur, cuius nominis quamvis obscuriorem esse caussam dixerit Casaubonus [a], tamen valde probabilis ratio suadet, in Maesam derivatum *Variæ* nomen ab illius Matre, vel Avia, quæ ex *Varia* Gente, & Marcello adgnata esset.

Hinc forte ab Avia Maesa Elagabalus sortitus est nomen *Varii*, quo nomine appellatum fuisse tradunt Historici, & patet ex veteri tubi plumbei Epigraphe, quam refert Gruterus [b]:

AQVA . TRAIAN . Q. ANICIVS . Q. F. ANTONIAN.
CVR. THERMARVM . VARIANARVM.

Thermas Varianas, ab ipso ita dictas, Elagabalus excitavit, ut refert Lampridius, quas Victor sitas inquit in Aventino in regione XIII. non longe a Thermis Decianis; unde sunt, qui eas cum istis perperam confundant. Thermas Varianas ad Elagabalum referendas esse arguit idipsum, quod in descriptione Urbis sive Victoris illa, sive Rufi, quam e Vaticanis Codicibus vulgavit Muratorius in Thesauro Inscriptionum pag. 2125. dicuntur Thermæ *Syræ*, nomine videlicet mutuato ab Auctoris origine. Certe Elagabalus haud passus esset in publicis præsertim ædificiis sibi *Varii* nomen inscribi, si ei turpe fuisset, sique ex ea caussa, quam narrat Lampridius, illud manasset: *quod vario semine de meritrice utpote conceptus videretur*. Hoc tamen loco, quod animadvertendum est, quorumdam opinionem recenset Historicus, non vero quod ipse sentiret. Ille enim paullo infra rationem reddens, cur Consobrini essent inter se Elagabalus, & Alexander, apertis litteris subdit: *Nam* VARIA *una his erat Avia*, UNDE HELIOGABALUS VARIUS DICEBATUR. Quid plura? Nihil profecto prohibet, Elagabalum ab Avia *Varii* nomen sumpsisse, qui a proavo materno Bassiano Bassianus dici voluit. Ita Antoninus Pius, ut narrat Capitolinus [c], *Boionius* dictus ab avia Boionia Procilla.

Nullum ne igitur a Marcello Patre nomen habuit Elagabalus? Nullum fortasse, prout nullum hercle a Gessio Marciano habuit huius consobrinus Alexander. Is enim non a Patre, ut male somniavit Reimarus, sed ab Avo dictus Alexianus, ut videre est apud Herodianum:

a *Ad Lampr. Heliog. num.* 1.
b *Pag.* 182. *num.* 7.
c *Lib.* 4. *cap.* 14.

Is erat Alexianus, qui tum nuncupabatur Alexander, avi ſui nomine in Macedonis Regis nomen commutato.

Nomina ut plurimum Filiis a Patre indita; at in hac re nihil certi, ac perpetui obſervatum. Græci vulgo ſeligebant quoſdam e Maioribus, quorum nomina ipſimet, ac Familiæ honori eſſent. Plutarchus in *Cimone* tradit Olorum Patrem Thucydidis ex altero maiorum nomen traxiſſe. Euſtath. ad Iliad. hunc morem antiquiſſimum fuiſſe dicit, nec raro obtinuiſſe apud plurimas alias Gentes. Sic Hannibal Carthaginenſis nomen Avi ſui ferebat, non Patris. In pleriſque etiam Romanorum familiis id ſæpius uſuveniſſe notavit Potterius in ſua Archaeologia [a] Græca.

Accedit his, non adeo veriſimile videri, Elagabalum, qui ſe Antonini filium iactitabat, quique etiam eo nomine per fraudem ad imperium evectus eſſet, nomen legitimi Patris uſurpaſſe, quo manifeſtum genus ſuum feciſſet, cum tamen illud celare & valde e re ſua eſſet, & ipſe cuperet, ut Antonini nomen, cuius videri Filius vellet, *affectato retineret* [b].

Ut ut ſit ex illuſtri admodum Familia ortum Varium Marcellum ſatis per ſe arguit illius connubium cum Soæmiade Imp. Caracallæ conſobrina, & conſularibus Viris arctiſſimo ſanguinis vinculo coniuncta, tum & illud, quod Lampridius [c] Soæmiadis Materteram, Variæ Sororem, *Juliam Domnam nobilem Orientis Mulierem appellat.*

P R O C. A Q V A R. C. Procurationes quaſdam geſſiſſe Varium Marcellum, & in ampliſſimum Ordinem adſcriptum ex Dione acceperamus. Emendandæ enim verſiones Falconis, & Leunclavii, qui hæc Dionis verba, καὶ ἐν τεἰπιτροπαῖς ἐξετασθέντος, καὶ ἐς τὸ συνέδριον ἐσγραφέντος latina fecerant *Cæſariſque Procuratore, & in Senatum allecto*, cum ea tamen ad Scriptoris mentem reddenda eſſent *procurationibus perfuncto &c.* Et in hoc mirum quam perbelle textus Græcus Dionis reſpondeat Veliterno Lapidi, qui non ſemel procuratorio nomine in muneribus publicis ſe geſſiſſe Marcellum teſtatur. Verum cuius generis æe procurationes, ac dignitates fuiſſent in tenebris lateret adhuc, niſi hæc Inſcriptio pateſeciſſet. Primus Vario fuit ad Dignitates gradus Procuratio Aquarum, quæ a Curatione differebat, ac longe diſtabat. Aquis [d] Præfectus primum ab Auguſti ævo Curator dictus, poſtea Conſularis Aquarum,

a *Lib. 4. cap. 4.*
b *Lamprid. in H.liog. num. 17.*
c *Id. in Alex. num. 5.*
d *Pancir. Not. Imp. Occ. cap. 8.*

rum, quod forte Consularibus ornamentis uteretur. Frontinus [a], ubi loquitur de Curatore: *Aquarum iniunctum Officium tum ad usum, tum ad salubritatem, atque etiam ad securitatem Urbis pertinens administratum* PER PRINCIPES SEMPER CIVITATIS NOSTRÆ VIROS, quales certe fuerunt sexdecim illi, quos ante se fuisse Aquarum Curatores enumerat idem Frontinus, & ipse Vir Consularis.

Contra vero Procuratoris munus, quod primus Tiberius Claudius videtur instituisse, postquam Anienem novum in Urbem induxerat, per Libertos plerumque Cæsaris fuisse exercitum coniicitur ex eodem Frontino lib. 2. Ibi Procuratoris Aquarum quod esset Officium describit: *Procurator calicem ejus Moduli qui fuerit impetratus, adhibitis Libratoribus signari cogitet, & diligenter intendat Mensurarum &c. modum, & earum notitiam habeat, ne sit in arbitrio Libratorum interdum maioris luminis, interdum minoris pro gratia personarum Calicem probare.*

Apud Gruterum præclara habetur Inscriptio, quæ Aquarum procurationem a Curatione perbelle distinguit, quæque alterum ab altero Officio longe distare satis demonstrat pag. 459. num. 7.

T. FL. POSTVMIO. TITIANO. V. COS
PROCOS. PROV. AFRICAE
CVR. AQVARVM. ET. MINICIAE
CORR. ITALIAE. TRANSPADANAE
CORR. CAMPANIAE........
COGNOSCENTI. VICE. SACRA
P. K. Q. K. PONT. DEI. SOLIS
AVGVRI. ORATORI. PRONEPOTI. ET
SECTATORI. M. POSTVMI. FESTI. ORAT.
T. AELIVS. POEMENIVS. V. C. SVFFRAG.
EIVS. AD. PROC. AQVARVM. PROMOTVS
PATRONO. PRAESTANTISSIMO.

a De aquæ duc. lib. I.

Huic Gruterianæ Inſcriptioni collimat alia, quæ affertur in parva Collectione Ill. Benedicti Paſſionei, quæ Lucæ prodiit Anno 1763. pag. 10. num. 3.

BALBINO . MAXIMO . COS. ORD.
PR. K. TV .... Q. K. LEG. PROV. ASIAE
CVR. R. P. LAVR. LAVINAE . ITEM
COGNOSCENTI . AD . SACRAS . APP.
CVR. AQVAR. ET . MINICIAE . PRAEF.
ALIMENTOR. VIAE . FLAMINII
XV. VIR. SAC. FAC. III. VIRO . KA.
SEVIRO . EQVIT. ROMANOR.
SEPTIM. VERVS . HERMOGENES
SEXAGENARIA . PROCVRATIONE
SVFRAGIO . EIVS . ORNATVS

Res obſervatu porro digna in hac Variana Inſcriptione, quod tribus ibi ordine enumeratis Procurationibus ſuum cuique Procurationi attributum Salarium, quod ex ſingulis acceperat Varius, notâ C. deſignetur. Eiuſmodi Littera quomodo accipienda eſſet valde primum animo hærebam: verum in obſcuro verſanti prætulit facem Salmaſius [a]. Centenarii, Ducenarii, ac Tercenarii Procuratores dicebantur a numero pecuniarum, quas ſtipendii nomine accipiebant. Dio 53. *Procuratoribus a numero pecuniarum, quæ illis data, nomen factum eſt.*

Sic quibus ſexagena tantum ſeſtertia conſtituta erant, *ſexagenarii*. Apud Grut. pag. 440. num. 3. eſt Lapis in hæc verba: *Proc. Trium Provinc. Gall. Lugdunenſis Narbonenſis & Aquitaniæ ad SS. LX. Proc. Alexand. Peluſi ad SS. C.* Item pag. 434. *Proc. Aug. Prov. Bætic. ad Ducena accipienda.* Sexagenaria Procuratio occurrit in Lapide apud Paſſioneum ſuperius allato.

Marcellus itaque noſter tamquam Procurator Aquarum Centenarius acceperat ſtipendii nomine annua Seſtertium Centena, ſive Centena millia Seſtertiorum, Aurea ſcilicet 2500. Uti Procurator Provinciæ Britanniæ Ducenarius Ducena millia, quæ æquant ſummam Aureorum 5000. Uti demum Procurator Rationis Privatæ Tercenarius Seſtertiorum Tercena millia, hoc eſt Aurea 7500. Quod in Græca ver-

a *Salmaſ. Not. ad Capit. Pertinace.*

versione Lapidis desint Litteræ C. CC. CCC. nullum facessit negotium. Græcus enim Auctor compendiariæ illius Latinæ Notæ, quâ stipendia designantur, fortasse ignarus, omittendam eam censuit, ut in septima linea omisit Soæmiæ titulum C. F. vel certe, si eas Litteras novit, noluit tamen illas in Græcam Inscriptionem traducere, quod nulla forte ei Græca Vox in promptu esset, quæ Latinæ satis apposite responderet. Nihil ergo morari Nos debet, quod Græca Latinæ, cuius versio est, non omnino respondeat.

PROC. PROV. BRIT. Non in universa Britannia Marcellum putarim Cæsaris Procuratorem fuisse, sed in altera tantum ex duabus Provinciis, quas Severus constituerat. Is enim anno [a] Imperii sui quarto ex una, quæ antea erat Provincia Britannia, duas fecit. In Consularibus maxime Provinciis Procuratores Cæsaris erant, qui ea procurabant, quæ ad Cæsarem ipsum, seu Fiscum pertinerent: nam [b] Ærarium a Fisco differrebat. Illud publicum, hoc est Populi Rom. Fiscus Principis erat.

Procuratoribus Provinciarum varia potestas a Principibus attributa. De controversiis, quæ inter Fiscum, & Privatos movebantur, cognoscebat. *leg. 2. Cod. Si advers. Fisc. leg. 8. Cum hi §. 19. transactiones ff. de transact. leg. 10. Si Hæredi Cod. de inoff. Testam.* Claudius enim effecerat, ut S. C. caveretur, parem vim rerum habendam a Procuratoribus suis iudicatarum, ac si ipse statuisset. Narrat Lampridius, Alexandrum Imperatorem eos sæpius mutare solitum fuisse, ne annum excederent, etiamsi boni essent, sibi invisos affirmasse, tamquam necessarium malum. Nil mirum igitur, si Britanni in Provinciam redacti querebantur, ut apud Tacit. Agric. cap. 15. §.2. *Singulos sibi olim Reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus Legatus in sanguinem, Procurator in bona sæviret*. Hinc [c] arguitur, Procuratorem Cæsaris merum Imperium non habuisse: Proconsul enim, vel Præses in Provincia de criminum quæstionibus dumtaxat cognoscebat.

PROC. RATIONIS PRIVAT. Præter Fisci Procuratorem alium etiam rerum Privatarum, propriique sui Patrimonii Procuratorem

C 3

a *Tillemon. Sever. artic.22. tom. 3. pagin.47.*

b *Alciat. de Magistr. Civil. & Milit. Off.*

c *Brisson. Antiq. Select. lib. 3. cap. 18. Cuiac. observ. lib.19. cap.13. Heinec. Elem. Iur. Civ. secundum Ord. Pandect. part. 1. §. 231. Philip. a Tur. monum. veter. Antii part.1. cap.5. Mascovius in peculiari dissert. de Procurat. Cæsaris Altorf. 1724.*

rem Principes habuerunt. Severum, devicto Clodio Albino, hunc Procuratorem primum instituisse Auctor est Spartianus [a] in eius vita, cui assentitur Philippus a Turre in monumentis [b] veteris Antii adversus sententiam Salmasii, qui ab Augusti temporibus Procuratoris eiusmodi deducit originem. Porro superiori [c] ævo rei familiari Principis Liberti plerumque, nonnumquam Equites sine aliqua administrationis, & muneris forma duo, pluresve præficiebantur. Idem Procurator Cæsaris, seu Rationis Privatæ ac Procurator *Rei Dominicæ*, idemque munus *Comitis Rerum Privatarum* sub posterioribus Impp.

In Urbe rem Privatam curasse Marcellum, non est ambigendum. Cum enim quis in Provinciis hoc munere fungeretur Nomen eius Provinciæ adnecti solemne erat; Sic apud Grut. 774. 4. est *Proc. Ad Prædia. Gallicana.* 575. 5. *Proc. Fisci . Asiatici.* 458. 1. ΕΠΙΤΡΟΠΩ. ΠΡΕΙΟΥΑΤΗΣ. ΔΙΑ. ΦΛΑΜΙΝΙΑΣ. ΑΙΜΙΛΙΑΣ. hoc est *Procuratori Privatæ rei per Flaminiam, per Æmiliam*. Sic apud Pancir. Not. Imp. Occid. pag.73. occurrunt Procuratores rei Privatæ per Italiam, per Apuliam, per Dalmatiam, cœterasque Provincias.

VICE PRÆFF. PR. ET VRBI. FVNCTO C. V. Non mortuo, vel absente aliquo ex Præfectis Pro-Præfectum Præt. & Urbi egisse Varium Marcellum aliquis putet. Non hic accipiendus Pro-Præfectus, prout *Pro-Quæstore* dicebatur, qui mortuo Quæstore, aut in Provincia, non expectato Successore, decedenti, Quæstorio muneri præficiebatur. Præfectorum Prætorio, & Urbi suus cuique erat Vicarius, qui manebat in Urbe, & qui ab ipso Præfecto pendebat, quique *Pro-Præfecti* [d] nomine quandoque appellabatur. Vicesgerens Præfecti Prætorio occurrit in Inscriptione Legis primæ tit. 33. lib.2. Cod. Theodos. quæ est: *Imperator Constantinus A. ad Dracillianum Agentem Vices PP.* idest Præf. Præt. quem Dracillianum Constantinus græce dixit διέποντα τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων μέρη, fere iisdem verbis, quæ in Græco Lapide de Vario Marcello leguntur. Sic in eodem Cod. leg. 2. de Paganis mentio fit *Magdasiani* cuiusdam Agentis Vices Præf. Præt.

Tillemontius in Notis *tom*.4. *pag*. 682. *Not*. 4. putat Vicarios a Diocletiano primum institutos. Perperam tamen, pace dixerim tanti

a *Cap.12.*
b *Cap.5.p.74.*
c *Brisson. Antiq. select. lib.3. cap.20.*
d *Corsin. de Præf. Urb. Præfat. pag.49.§.8.*

tanti Viri, intellexit Lactantium, quem citat *de Mort. Persecut.* §. 7. huius enim eiusmodi sunt verba: *Et ut omnia terrore complerentur, Provinciæ quoque in frusta concisæ, multi Præsides, & plura officia singulis Regionibus, ac pene iam Civitatibus incubare, item Rationales multi, & Magistri, & VICARII PRÆFECTORUM, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum, & proscriptiones frequentes.* Præterquamquod enim Lactantius non loquitur de Vicariis Urbis, sed dumtaxat de Provincialibus, illius verba potius videntur innuere, quod sub Diocletiano numerus Vicariorum in Provinciis fuerit adauctus, non autem, quod Vicarii tum primum incæperint esse.

Urbis Romæ Vicarius peculiarem potestatem, ac Imperium habebat, ideoque distinctum fere Tribunal, ut interdum etiam supremæ Præfecti potestati minime subiiceretur. Certe Valeria, Picenum, Campaniæ pars, aliæque Provinciæ non Urbis Præfecto, sed Vicario parebant, & ad eum in quorumdam criminum quæstionibus [a] provocabatur. Tresdecim enumerat Gothofredus Urbis Vicarios, qui ex Legibus in Cod. Theodosiano apparent. Nonnullos alios addit Clarissimus Vir Eduardus Corsinius in sua Serie Præfectorum Urbis, quam post Contelorium multo locupletiorem edidit.

Ex Equestri tantum ordine fuisse Varium Marcellum haud dubiam coniecturam faciunt Procurationes, quas ipsum gessisse superius diximus: huiusmodi enim munera Cæsarum Liberti, vel Equites plerumque obibant. Verum cum Soæmias, Marcelli Uxor, Sororis Filia esset *Iuliæ Domnæ* Uxoris Septimii Severi, vero simile videtur, ob hanc potissimum affinitatem a Severo Varium ad hæc præclariora officia promotum fuisse, ut inde in Senatum illi aditus pateret. In Senatum enim non nisi Vice-Præfectorum Præt. & Urb. functum arbitror Varium Marcellum adlectum fuisse. Id ex *Clarissimi Viri* titulo, qui Vice-Præfecturam subsequitur, facile arguitur: siquidem eiusmodi titulo Senatores honestabantur [b], ut notavit Casaubonus ad Lamprid. *Eliogabal.* Ad rem nostram facit Lamprid. in Vit. Alex. Cap. 21. *Addidit* (Alexander) *Præfectis Prætorio Senatoriam dignitatem, ut Viri Clarissimi, & essent, & dicerentur.*

Hæc

---

a *Eduard. Corsin. de Præf. Urb. Præfat. pag.* 43.

b *Pancir. not. utr. Imp. cap.* 2.

Hæc omnia ad Severiana tempora ſunt referenda, quippe Soæmias, dum Caracalla regnaret, iam orbata Marito Antiochiæ in Syria apud Matrem Mæſam cum Sorore Mamæa viduam exigebat ætatem. Quonam vero ordine Varius hæc munera aſſecutus ſit, non ita facile erit ſtatuere. Cl. Oliverius [a] exiſtimat, Dignitates eodem prorſus ordine proceſſiſſe, quo in Marmoribus recenſentur. Aliquando tamen hunc ordinem fuiſſe perturbatum obſervavit laudatus Corſinius *Præf. de Præf. Urb.* §.4., quod in hac noſtra Variana Inſcriptione ſuſpicor contigiſſe. Quamvis enim Vice-Præf. Prætorio hic nominetur prius, opinor tamen Varium Marcellum, antequam ageret Vice-Præf. Præt. antea geſſiſſe Vices-Præfecti Urbis: a cœteris enim Magiſtratibus mos erat ad Præfecturam Prætorii, mox ad Conſulatum aſcendere.

Præfecti Urbi, qui ex Auguſti inſtituto ius, ac Imperium intra Centeſimum ab Urbe Lapidem obtinebat, & ad quem a Prætoribus, ac Præſidibus Provinciarum provocabatur, ſumma erat poteſtas. Vice enim Sacra, hoc eſt loco Principis, & ipſe ut Præfectus Prætorio iudicabat. Eiuſmodi dignitate nonniſi Equites, ac variis muneribus antea perfuncti donabantur. Verum poſtea Commodi, Caracallæ, atque Elagabali temporibus etiam Viri ex infima Populi colluvie; quin etiam ipſorum aliqui in menſes ſolum, atque horas eligebantur, & quemadmodum *Suffecti* Conſules honoris cauſa induci cæperunt, ita quoque Præfecti plures Præfectis aliis ſubſtituti. Quod ſi hæc in Præfectis uſuveniſſe reperimus, idem multo magis contigiſſe in iis, qui Vicariam tantum poteſtatem obtinerent, nihil veroſimilius eſt. Quo circa in Magiſtratu, cui certa præfinita duratio non erat, quamdiu permanſerit Varius, ſupervacaneum eſt inquirere.

PRÆF. ÆRARII MILITARIS. Auguſtus primum Militare Ærarium inſtituit, in quo, ut ait Sigonius [b], Civium tributa, ac Sociorum Vectigalia, & præda Imperatorum aſſervabatur, quo ſumptus bellorum ordinarii ſuſtinebantur. Ærarii Militaris Præfecti frequens mentio in Lapidibus, præſertim apud Gruterum.

LEG. LEG. III. AVG. A Præfectura Ærarii Militaris gradus erat ad dignitatem Legati. Sic C. Plinius defunctus Militari Æra-

---

a *Marmor. Piſaur.*

b *Sig. de antiq. Iur. Civ. Roman. lib. 1. cap. 16.*

Ærario Legatus fuit Legionis VI. Gallicæ, ut ex Inſcriptione apud Gruter *pag.*454. *num.*3.

C . PLINIVS . C . F . C . N.
CÆCILIVS SECVNDVS
CVRAT. ALVEI TIBERIS ET RIPAR.
PRÆF. ÆRARI SATVRNI PRÆF.
ÆRARI MILITAR. LEG. LEG. VI. GALLIC.
X VIR. STLIT. IVDICANDIS

Intellige hic non Legatum Conſularem, ſed Prætorium. Prætorii enim Legati ſub Principibus dicebantur, qui ſingulis Legionibus [a] præeſſent; iidem, qui *Sub-Præfecti*, & *Sub-Prætorii* poſtea appellati a Dione, Duceſque in poſtremis temporibus. E Legionibus XXV. a Cæſare Auguſto per Romanum Orbem conſtitutis Legio III. Auguſta [b] in Affrica erat. Romæ in Area Capitolii in marmorea Columna Legionum XXXVII. quæ poſt Diocletianum fuere, leguntur Nomina: inter has III. *Auguſta*. Dionis ætate hæc Legio Tertia Auguſta tripartita fuit. Pars *Gallica* dicta, in Phoenicia, *Cyrenaica* in Arabia, *Auguſtalis* in Numidia hybernabat. Huic ipſi, quæ in Numidia erat, præfuiſſe Marcellum argumento eſt, quod inde eiuſdem Provinciæ dicatur Præſes.

PRÆSIDI. PROVINC. NVMIDIÆ. Rufus de Romani Imperii acceſſione omni ex Africa ſex dicit Provincias eſſe factas, quarum Carthago [c], Numidia, Cyrenenſis Conſulares erant: Tripolis, & Mauritaniæ duæ Præſidiales. Quomodo igitur, ſi *Numidia* Proconſularis Provincia erat, Marcellus [d] non potius Proconſul, quam Præſes dicitur? Sed & quandoque Imperator Præſides in aliquam Conſularem Provinciam miſſos Conſulari poteſtate ornabat, ut videlicet eius eſſent auctoritatis, cuius Proconſules. Ita C. Plinius Præſes Provinciæ Ponti, quamvis Bithynia cum Ponto non Præſidialis, ſed Prætoria Provincia eſſet. Commutabantur enim Provinciæ plerumque arbitratu Principis. Sic Alexander [e] Præſidiales, quæ antea

a *Lipſ. de Milit. Rom. lib.*2. *cap.*11.
b *Pacir. Not. Imp. Orient. cap.*35.
c *Lipſ. de Milit. Rom. lib.* 2. *cap.* 11.
d *Pacir. Not. Imp. Orient. cap.* 35.
c *Alciat. de Magiſtr.*
e *Lamprid. in Alex.*

antea non fuissent, plurimas fecit. Imperatores, quæ pacatiores essent, Senatui, Populoque relinquebant, quæ vero Provinciæ proximæ Barbaris, quæve validam militum manum requirebant, eas, quæ a suis Præsidibus regerentur, sibi met reservabant, verbo, ut labores, & belli pericula subirent, reapse vero, ut vis, ac potestas omnis penes ipsos Principes esset.

Consulares, seu Prætorias Provincias nonnisi Senatores, iidemque Consulares Viri sortiebantur. Præsides vero etiam ex Equestri ordine deligebantur. In Proconsularibus, seu Prætoriis ex veteri Reipublicæ more Magistratus annuus, in Præsidialibus vero certus finis non erat. Præsides enim tamdiu manebant, donec a Cæsare Successor mitteretur.

Huiusmodi officiis præpositum fuisse Marcellum, & dignitatibus ornatum ab Imp. Severo, summa Marcelli laus est; *hominem enim in legendis* [a] *Magistratibus diligentem* constat fuisse Severum. Quamquam maioribus fortasse eum honoribus auxit Imperator, ut dicebamus, Iuliæ Domnæ, ac Maesae Marcelli socrus commendatione, quarum summa gratia, & maxima in Aula auctoritas. Ita harum favore, ac Soæmiadis benevolentia usus quoque Julius Avitus Marcelli socer post Consulatum, quem gessit circa an. Chr. 209. ut placet Tillemontio, a Caracalla Asiæ, inde Mesopotamiæ, ac demum Cypri præfecturam obtinuit [b].

Cum Elagabalus natus sit ann. Chr. 204. Soæmiadem Marcello ante id tempus nupsisse oportuit. Vel in fine Severiani regni, vel, quod magis probabile est, primis Imperii Caracallæ temporibus Marcellus mortem occubuit: nam quo tempore cum Elagabalo Macrinus de summa rerum disceptabat mortuum iam antea Marcellum docent Dio [c], & Xiphilinus. Itaque Elagabalus quo tempore e vivis Pater excessit vel septennis erat, vel paullo maior. Ita statui posse videtur, Monumentum ab Uxore cum Filiis Velitris fuisse excitatum circa an. Chr. 212. dum Soæmias adhuc Romæ esset, a qua post illa diu abfuit cum Matre, & Sorore Caracallam secuta. Neque quis credat potuisse Soæmiadem postquam ad Urbem cum filio Elagabalo reversa est, quod contigit vel in mense Julio, ut visum est Torrio, vel Novembri, ut placuit Vignolio, an. Chr. 219. Marito suo Sepulchrum condere: non enim ut erat gloriæ cupida eo tempore passa esset non inscribi Monumento Augustæ titu-

a *Capit. in Clod. Albin.*
b *Dio lib. 78. cap. 30.*
c *Dio in frag.*

titulum, quo cum Matre Mæsa decorata fuit cum primum ad Imperium filius evectus est; idque eo etiam fecisset libentius, quod nescio quo arrogantiæ, ac levitatis studio permota silentio præteritum noluit secundum cognomen, quod nunc primum cum litterato Orbe illustre Veliternum marmor communicat. Ignotum quippe antea fuit, ut superius innuimus, Juliam Soæmiadem *Bassianam* quoque fuisse dictam.

Quâ ætate Marcellus e vita decesserit ignotum. Profecto non grandem natu mortuum arbitror; Soæmias quippe cum Vidua facta est iuventâ adhuc efflorescebat. Inquirere ubinam gentium obierit divinare esset: nihil tamen verosimilius putarem, quam Velitris illum occubuisse post reditum e Numidia; vel si in Urbe mortuus sit, humatum deinde ipsius Cadaver in suo fundo, aut Villa, quam in Agro Veliterno haberet. Ibi enim quamplures Romanorum deliciæ: quæ fuerant Tyberii Cæsaris, & Caligulæ memorantur a Plinio [a]. Ubi olim erat Othonis Villa rudera supersunt adhuc, & nomen ad hanc diem retinet locus *Col d'Ottone*, qui hodie possidetur a nobili Philipporum Familia, ut notavit Clarissimus Præsul Alexander Borgia [b].

Hæc de Sepulchrali Lapide Sexti Varii Marcelli quæ scriberem habebam. Si non ex sententia, neque ut dignitas rei postulabat, satisfecerim, non mihi vitio vertendum; non enim ultro libensque sum rem amplexatus. Meus qualiscumque sit labor, nihil aliud me profiteor in eo esse persecutum, nisi ut Summo Viro, ac Patrono Præstantissimo, qui ad scribendum impulit, iussus quoquo modo obtemperarem.




a *Hist. Nat. lib.* 12. *cap.* 1.

b *Ist. di Velletri lib.* 2. *pag.* 81.

IMPRIMATUR,


Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Giordani Archiep. Nicomed. Viceſgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.


SEX VAI ΕΛΛω
OC AQVAR C PR ΑΝΙΕΠΑΡΧΕΙΟΥ
VAT CCC VICE ΒΑΤΗϹ ΠΙϹΤΕΥ
V PRAEF AEI ΟΥΚΑΙΡω ΔΗϹ
AESIDI PROVI ΤΙωΤΙΚΟΥ
IA SOAEMIAS ΕΠΑΡΧΕΙΟΥΝΟΥΜΙΔΙΑϹ
MARITO ET P ΟΙϹΤω ΠΡΟϹ
1 7 8
Palmi Romani

SEX· VARIO· MARCELLO

PROC·AQVAR· C· PROC· PROV· BRIT· CC· PROC· RATIONIS

PRIVAT· CCC· VICE· PRAEFF· PR· ET· VRBI· FVNCTO·

C· V· PRAEF· AERARI MILITARIS· LEG· LEG· III AVG·

PRAESIDI PROVINC NVMIDIAE

IVLIA SOAEMIAS BASSIANA· C· F· CVM FILIS·

MARITO ET PATRI AMANTISSIMO

CΕΞΤΩ ΟΥΑΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ

ΕΠΙΤΡΟΠΕΥCΑΝΤΙΥΔΑΤΩΝ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥCΑΝΤΙΕΠΑΡΧΕΙΟΥ

ΒΡΙΤΑΝΝΕΙΑC ΕΠΙΤΡΟΠΕΥCΑΝΤΙΛΟΓΩΝΠΡΕΙΒΑΤΗC ΠΙCΤΕΥ

ΘΕΝΤΙΤΑΜΕΡΗΤΩΝΕΠΑΡΧΩΝΤΟΥΠΡΑΙΤΩΡΙΟΥΚΑΙΡΩΜΗC

ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩΑΝΔΡΙΕΠΑΡΧΩΕΡΑΡΙΟΥCΤΡΑΤΙΩΤΙΚΟΥ

ΗΓΕΜΟΝΙΛΕΓΕΩΝΟC Γ ΑΥΓΟΥCΤΗC ΑΡΞΑΝΤΙΕΠΑΡΧΕΙΟΥΝΟΥΜΙΔΙΑC

ΙΟΥΛΙΑCΟΑΙΜΙΑCΒΑCCΙΑΝΗCΥΝΤΟΙCΤΕΚΝΟΙCΤΩ ΠΡΟC

ΦΙΛΕCΤΑΤΩΑΝΔΡΙ ΚΑΙΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΠΑΤΡΙ

1 2 3 4 5 6 7 8

Palmi Romani

Completo

Complete